Albertus inter Principes Austriæ Duces quintus, inter Cæsares huius nominis secundus, præclara externorum bonorum ornamenta, quibus et natura, et fortuna eum cumulauerunt; miris (quod mirum est) uirtutibus honestauit. Aduersos Sigismūdi Imperatoris casus præsenti opera, et consilio reparauit: Atrocissimo enim religionis christianę, et Imperatorij nominis hoste Cisca in Boemia grassanti obstitit, et (quod maxime memorabile est) in arce Pragensi, cuius ciuitatem uictorijs insolens occuparat; Imperatorem iuuit; ut regio diademate ante oculos reluctantis decoraretur. O præclaram uirtutem, quæ afflictas Imperatorum fortunas non solum erigere, sed recreare potest, plus enim uirtuti tuę fortuna debet, q̃ fortunę uirtus; Nam te Cæsaris generum, Te Regnorum Boemię, et Vngariæ hæredem, Te imperij denique successorem uirtus non fortuna fecit; et ut dignam imperio speciem animi præstantia exornares; Taboritarum colluuiē furore, et amentia percitam, quæ turpissimum Regem sibi ex Polonia acciuerat; uel solo aduentu, et fama nominis tui tardasti, fregisti, profligasti. utinam illustriores progressus tibi fata non inuidissent. Metuendum orbi Amuratem Turcarūm Imperatorem bella Vngariæ intentantem facile contriuisses. Sed (heu dolor) in maxima omnium procerum uirtutis tuę expectatione, incerta de triumphis tuis spe, inuida mors æternam gloriam tuam anteuertit; luctus, et mœror omnia occupat.

Obijt anno chr. M C D X X X I X. Imp. II. Georgio, et Ladislao postumo Boemiæ Vngariæq; Regē. Anna Vilelmo Saxoniæ Duci. Elisabeta Casimiro Poloniæ Regi matrimonio copulatis, ex Elisabeta Sigismundi Imperatoris filia natis.